

# MISSA IN FESTO IMMACULATÆ CONCEPTIONIS SS.<sup>MAE</sup> DEI GENITRICIS MARIÆ HISPANIARUM PATRONÆ.

Die  
vii.  
Dec.

Cant.  
3.

Psal.  
83.



## Introitus.

Gredimini , & vi-  
dete filiæ Sion Re-  
ginam vestram ,  
quam laudant as-  
tra matutina cu-  
jus pulchritúdi-  
nem sol & luna mirántur ; &  
júbilant omnes filii Dei. **Psalm.**  
quam dilecta tabernacula tua Dó-  
mine virtutum ! concupiscit, & dé-  
ficit áнима mea in atria Dómini.  
**V.** Glória Patri.

## Oratio.

**D**eus , qui per immaculatam  
Virginis Conceptiōnem dig-  
num Filio tuo habitaculum præ-  
parasti : quæsumus, ut qui ex mor-  
te ejusdem Filii sui prævisa , eam  
ab omni labe præservásti; nos quo-  
que mundos, ejus intercessione, ad  
te pervenire concedas. Per eundem  
Dóminum.

## Et fit Commemoratio Feriæ.

### Léctio libri Sapientiæ.

**D**ominus possédit me in ini-  
tio viârum suârum ante-  
quam quidquam fáceret à princí-  
pio. Ab æterno ordinâta sum , &  
ex antiquis, antequam terra fieret.  
Nondum erant abyssi , & ego jam  
concepta eram : necdum fontes  
aquarum eruperant : necdum mon-  
tes gravi mole constiterant : ante  
colles ego parturiebar:adhuc terram  
non fecerat , & flumina , & cárdi-  
nes orbis terræ. Quando præparâbat  
cælos , áderam : quando certa lege  
& gyro vallâbat abyssos , quando  
æthera firmâbat sursum, & librâbat  
fontes aquârum : quando circum-  
dabat mari téminus suum , & le-  
gem ponebat áquis , ne transirent  
fines suos : quando appendébat  
fundamenta terræ. Cum eo eram

Prov.  
8. c.

cunc-

cuncta compōnens; & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Nunc ergo filii audițe me: Beati qui custodiunt vias meas. Audițe disciplinam, & esto sapientes, & nolite abjecere eam. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidiè, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, invéniet vitam, & haúriet salutem à Dómino.

**Graduale.** Qualis est dilecta nostra, charissimi? Qualis est mater, dicte, Domini? Qualis & quanta sit soror & sponsa Christi? ¶. Dilécta nostra cándida, immaculata, quasi aurora consurgens. **Alleluia**, alleluia. ¶. Veni Regina nostra, veni in hortum odoris super ómnia arómata. **Alleluia**.

**Sequentia sancti Evangélii secundum Lucam.**

*Luc. II. c.*  
**I**N illo témpore: Loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit: & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quin immò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. **Credo**.

**Offertorium.** Hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradysus, o Maria: manus tuae stillavérunt myrrham mellifluique facti sunt cœli, dum manus Dómini fabricata est mater tanti Dei.

**Secreta.**

**S**uscípere dignéris per temetipsum benigitatis auctórem, rogámus Dómine, Matris, ac dominus tuæ, zelatorum devotas cum hilaritatē supplicationes: ut sicut ipsa, tuá gratia præveniente, mundo (hodie) immúnis apparuit: ita ipsi mundam de tuæ Matris munere, te concedente, exhibeant gratiarum actionem. Per temetipsum Jesum Christum filium ejus, qui vivis.

**Illud hodie hic & in Postcom. omittitur extra Octavam in Missis votivis.**

**Præfatio de B. M. V.** Et te in Conceptiōne: quæ dicitur per totam Octavam, etiam in Festis, nisi propriam habuerint.

**Communio.** Gloriōsa dicta sunt de te Maria, quia fecit tibi magna qui potens est.

**Postcommunio.**

**O**dorem, Dómine, sacrificii hujus suscipe suavitatis, & præsta: ut, qui (hodie) Mariæ Conceptiōnem jubilando celebrant, ejus salubri oratione, fructum cœntuplum suæ devotio[n]is accipient. Per Dóminum nostrum.

**¶ Infra Octavam Conceptionis B. Mariæ, & in ejus die Octava, dicitur eadem Missa sicut in die Festi. Oratio secunda de Feria, tercia de Spiritu Sancto.**

# CLEMENS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

*Ad perpetuam rei memoriam.*


**Q**um primum Divina disponente voluntate, factum est, ut humilitas nostra turbulentis præsertim Christianæ Reipublicæ temporibus ad universalis Ecclesiæ regimen extolleretur, jam indè ea cogitare, & agere assiduè non destimus, quæ ad promovendum, & propagandum Inclitæ, & Gloriosæ semper Virginis Mariæ cultum inter fideles Populos maximè conducerent, ideo potissimum, ut nobis, & universæ Catholicae Ecclesiæ speciali pietate Christi Filii sui Supremi Ecclesiæ Capitis favorem, & gratiam protectionis conciliaret, minora tamen, quam nostrum desiderium explere possint, semper erunt reverentiæ, & venerationis signa, quæ in terris præbentur, ad cumulandam, & ad augendam Gloriam hujus præ cæteris electæ Creaturæ, quæ quidem ex ore Altissimi prodiit, & in omni Gente Primatum tenuit: Proindè obortas libenti animo amplectimur occasiones, quibus nova ipsi honoris obsequia tribuantur, ac maximè lætamur, Potentissimum Regem, qui in hac re non ita pridem aperuit animum suum, tam mirificè cum nostro, consentientem, rursum in precibus amplificationem aliam talis Cultus pro suis vastissimis Regnis, & Ditionibus exposcere; Nobis siquidem Regio nomine Charissimi in Christo Filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Dilectus Filius Emmanuel de Roda dicti Caroli Regis Consiliarius, & modò apud Nos negotiorum ejusdem Caroli Regis Minister supplicem porrexit Libellum, cuius tenor est.


Beatissime Pater. Cum Sanctitas vestra enixis Catholici Regis votis benignè annuens, Beatissimam Virginem Deiparam in Sacrosancto ejusdem Immaculatæ Conceptionis Mysterio, Hispaniarum, Indiarumque Ditionum à Comitiis totius Nationis Hispaniæ in ipsis auspicatissimo Regni exordio habitis, Patronam, & Advocatam specialem communī consensione nuncupatam, et dilectam Apostolicis Litteris aurea Bulla munitis, sexto Idus Novembris, Anni millesimi septingentesimi sexagesimi concesserit, & confirmaverit, simulque venerandi Mysterii Festum sub Ritu duplici primæ classis cum Octava, cæterisque prærogativis, omnibus hujusmodi Patronorum Festis competentibus, & à Sede Apostolica approbatis, ab universo Hispaniarum, Indiarumque Ditionum Clero Seculari, & Regulari, quomodolibet etiam exempto, coli, & celebrari præceperit, atque mandaverit, cumque inter prærogativas, quæ à Sancta Sede favore dictorum Patronorum indulgeri solent, primarium quodam modo teneat locum Officii proprii, & Missæ in eorum honorem recitatio; idem Rex Catholicus, ut Apostolica Sanctitatis vestræ concessio, ut supra jam facta integrum jure merito sortiatur effectum, Officium, quod incipit: *Sicut Lilium inter spinas*: & Missam cuius initium: *Egredimini, & videte*: quibus Ordo Franciscanus utitur, ad prædictum Dominiorum suorum Clerum extendi, & prorrogari summoperè desiderat, idcirco Emmanuel de Roda ejusdem Catholici Regis jussu, & nomine Sanctitatem vestram humillimis precibus orat, ut prædicta Officium, & Missam, prout à Franciscanis recitantur, ac in eorum Breviario, & Missali à Sancta Sede approbatis, continentur universo Hispaniarum, & Indiarum Clero, tam Seculari, quam Regulari, ac quomodoli-


bet exempto, pro die Festo solemni ejusdem Immaculatae Conceptionis, necnon, & pro ejus Octava concedere, indulgere, & extendere Apostolica sua auctoritate dignetur. Et pro gratia, &c.

Cum autem Nos alias libenti quidem animo, adeo effusa dicti Caroli Regis, ac totius Hispaniae Gentis erga praeclarum hoc Deiparæ Virginis Mysterium devotioni obsecundantes juxta priores nostras Litteras ipsam in predicto Mysterio collendam universalem Patronam, & Advocatam dictorum Regnum, & Dominiorum declaraverimus, ejusdemque Mysterii Festum in dictis Regnis, & Dominiis per universum Clerum, tam Sæcularem, quam Regularem, & quomodolibet exemplum, sub Ritu duplici primæ classis cum Octava celebrari præceperimus, modo præmissas Nobis additas preces, velut recentiora illius eximiæ pietatis argumenta, excipientes, ac priorum Litterarum nostrarum tenorem cum omnibus, & singulis in eis contentis, præsentibus pro expresso habentes, novis hisce supplicationibus Pastorali affectu nostro benignè inclinati, ipsarum tenore præsentium in perpetuum concedimus, atque indulgemus, ut recurrente annis singulis dicti Mysterii celebritate in eisdem Regnis, & Dominiis, ac in singulis illorum Civitatibus, & Dioecesis, Oppidis, Terris, & Locis, ac Territoriis quibuscumque etiam nullius Dioecesis, ab universo Clero predicto, ab omnibus videlicet, & singulis Sæcularibus, & Regularibus utriusque sexus cuiusvis Ordinis, & Instituti, etiam quantumvis exemptis, qui Horas Canonicas Diurnas, & Nocturnas, sive privatim, sive in quibusvis Ecclesiis collegialiter, & cum cantu recitare tenentur, ac tenebuntur, ac Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebribunt, illud Officium proprium, & Missa cum Octava recitentur, quod, & quæ per dilectos Filios Fratres Ordinis Minorum Sancti Francisci de præsenti generaliter recitantur, ac in eorum Breviario, & Missali à Sede Apostolica approbatis continentur, ad quorum effectum illius Officii, & Missæ cum Octava recitationem ad universum Clerum predictum generaliter quoque harum serie extendimus, idemque Officium, & Missam hujusmodi juxta exemplaria dictorum Fratrum Minorum, & non alias ad usum Cleri, & Regularium predictorum in eisdem Regnis, & Dominiis pro tempore commorantium, etiam seorsim ab aliis Breviariis, & Missalibus typis imprimendi opportunam licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur: Non obstantibus, & respectivè firmis, ac salvis remanentibus Constitutionibus Apostolicis, & omnibus illis, quæ in dictis prioribus nostris Litteris non obstare, & respectivè firma, & salva esse, & fore decrevimus. Volumus autem, ut præsentium nostrarum Litterarum tenor in principio, vel in fine Officii, ac Missæ pro usu dicti Cleri, ut præfertur, imprimendi, etiam imprimatur, utque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra illud adhibeat, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ Concessionis, Indulti, extensionis, licentiae, facultatis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo sexagesimo primo, decimo sexto Kalendas Februarii. Pontificatus nostri anno quarto. = C. Cardinalis Prodatarius. = N. Cardinalis Antonellus. = Loco ✕ Plumbi.

Reimprimatur, Dr. Almarza, V. G.









JURSALÉ ROMÀNICA

Universitat de València

Biblioteca Històrica

Y-59

28